





# DISPUTATIO

De

*Aphorismo 22. Sectionis 1. Hippocratis occa-  
sionem tempus utilis purgationis  
et docente,*

Quam

Sub Præsidio Viri Excellentissimi,  
**Dn. ERNESTI HETTEN-**  
**BACHII, PHILOS. ET MED. DO-**  
**cotoris, & Profess. P. Medicæq; Facul-**  
**tatis Senioris.**

*Examinandam proponit,*

**M. Joachimus Köppe,**  
Magdeburgensis Saxo.

*In Auditorio Medicorum 5. Maij.*



WITBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi 1609.



A D

Ornatissimum ac doctissimum virum,  
JOACHIMUM KÖPPEN,  
*Philosophiae Magistrum, Medicina  
Candidatum.*



OACHIME, non novum Albicollinæ  
scholæ,  
Parumve spectatum hactenus, sed jam ferè  
Bilustre nomen, imò verius decus;  
Virtutium quām decora ea ipsa debiti  
Maectare possim laudibus præconij,  
Quā Medica, quā Philosophares! sed nil opus  
Face est, mero quum solnitet meridie.  
Alius tenebras in oculis qui fors geris,  
Hoc sis age, & considera has mihi theses:  
Aut potiūs aures aperi, & operam in publico  
Da disputanti, & protinus mecum hæc dabis:  
Musea gens ut plurimum haud novit aliud,  
Eluere quām bonis crumenam laminis:  
At ille ritè ut corporis purgat mala?

*Adamus Theod. Adami F. Siberus,  
Orat. P.*



# DISPUTATIO

De  
*Aphorismo 22. Sectionis I. Hippocratis.*

## THESSIS I.



Æ præclarum est illud Xenophontis: ἔδει στασίας στε εὐχερεῖσσαν,  
στε καλὸν καθηγεῖσθαι τοῖς πόλεσι, οἷς οὐ τάξις. Et  
licet hoc tam in communi vitâ,  
quam Politiâ locum sibi vendicet: non minus tamen, immò<sup>mo</sup>  
maximè in Medicina, quæ non  
minimā cum prudenter Politicâ convenientiam & analogiam  
obtinet, & utile & fructuosum:

immò per quam necessarium, quod inculcetur, statuendum  
est.

### II.

Nam tritum usq; receptum est, Medicum naturæ ministerum esse, nihilq; sine ipsius ope efficere valere: Illam autem ἔδει αἰτεῖσθαι, sed potius αἴτια τῶν τάξεων: maximè itaq;  
conveniens & æquum esse à Medico quoq; ordinem obser-  
vari, quis est, qui non concludat?

*Aristot. 8.  
Physic. t. 15.*

### III.

Non solum verò pro parte diæteticâ, Medicus obnixè prospiciet, ut ægrū sive neutrū, exercitio, cibo & potu regat,  
ejusq; naturam ita dirigat, ut vires servet & augeat, quæ in-

A 2

ordi.

ordinatè vivendo & agendo depravantur, atq; à statu di-  
moventur: sed etiam & quām maximè in ipsa Pharmaciâ,  
morborumq; præsentium curatione, ut ordinem sibi com-  
mendatum habeat, ipsius naturæ ratio, quæ principalis  
morborum curatrix, ordineq; ubiq; svaviter afficitur, po-  
stulat & requirit.

I V.

In hunc sensum Medicorum princeps & venerandus  
senex Hippocrates, ab ipsa quasi naturâ in theatrum Medi-  
cum productus Aphorismum, quem nunc proponimus,  
scripsit & confecit: *περὶ Φαρμακεύου τὸν κατέτιττον*, μὴ ἀμά, μηδὲ  
τὸ δέχεσθαι, τὸ μὴ ὄργα; τὸ δὲ πλεῖστον ὄργα. Hunc ipsum  
Aphorismum Galenus oraculi titulo insignire non est veri-  
tus, propter insignem, quem medentibus processum, ma-  
gnumq; quod ægris solatium adfert. Nos propter summā,  
quam in se continet doctrinam, pro disputatione, illum  
proponere, quæ dubia & obscura explicare, publicoq; exa-  
mini subjicere voluimus.

V.

Totius Aphorismi summa breviter primò enarrabi-  
tur: Postquam Hippocrates Aphorismis præcedentibus o-  
stendit, quæ medicamentis purganda, videlicet illa, quæ vel  
omnino non vel imperfectè à natura superari, judicarique  
possunt: quæ missa facienda, videlicet ea, quæ integrè per-  
fecteq; judicantur, judicataq; sunt: Et per quas vias sin-  
gula commode educenda: ne quis præcipiti judicio astu-  
ans nimis immaturè concluderet; omnem cacochymiam,  
quæ à natura planè vinci non potest, medicamento per de-  
bitas vias purgandam, nec ullum cacochymum aliter tra-  
ctandum insulse judicet, summo artificio prioribus hunc  
attexuit, quo accommodatum tempus, certaq; cacochy-  
miæ accidentia describeret, quibus præsentibus purgare &  
move-

movere, quibus verò minimè liceret, nulliusq; artis etiam certissimæ quodlibet præceptum planè catholicum esse, vel hoc exemplo dilucidum redderet.

## VI.

Sunt autem illa cacochymiaæ accidentia triplicia: 1. *πέντε*. 2. *ώρα*. 3. *οργὴν*, quæ sigillatim nobis explicanda, quæque singulis pro cuiusq; naturâ debeantur elucidanda veniunt, ipso Aphorismo ordinem monstrante.

## VII.

*πὲρ πέντε* sunt quæcunque *πέντε* perfectionem suam sunt adepta. Est enim juxta Aristotelem *πέντε πλείωτις τάξις* τῆς φυσικῆς θερμός ἐκ τῶν αὐλητικέννων παθητικῶν. Τάυτα δ' εἰσὶν ἡ οὐκεία ἐκάστῳ ὑλῇ.

Arist. 4. Me  
teoron. c. 2.

## VIII.

Illam *πέντε* generaliter sumtam, notandum est Aristotelem quadrifariam divisiisse; videlicet in *πέντε* propriè dictam *πέντενσιν εύηντον & ὄπιην*. *πέντε* propriè dictam distinguuit Philosophus à ceteris coctionis speciebus ratione finis, quando his verbis pergit: *τὸ πέντε πᾶς μὲν ἡ φύσις εἰσι. Φύσις δὲ ἡν λέγουμεν ὡς ἀδέσποτη καὶ στοιχεῖα.* Quod ipsum eleganter expressit explicuitq; Capivaccius propriè dictam coctionem sic definiens: Est perfectio alimenti familiaris oppositi, à calore tūm naturali tūm proprio, ut partes animatae nutritantur.

## IX.

Quâ definitione Aristotelis mens rectè & apertè declarata est. Etsi enim coctio, quatenus coctio, & per se, nullā substantiam producere potest: sed duntaxat qualitatum & temperiei est perfectio & absolutio, quod Arist. per *ἀπόιωσιν τῆς πεπλουέντος* reddidit: tamen illius coctionis, quâ cibis efficitur chylus, chylus sanguis, sanguis tandem ulterius ratione suarum qualitatum ita mutatur & afficitur,

In Scholis  
Aphorismo-  
rū Hipp. 32.

ut in substantiam corporis exhausti transire queat, atque ita satis idoneum aptumq; animæ instrumentum, veluti materia formæ se præbere possit, ultimus finis, quia essentiale aliquod principium respiciat, videlicet ipsius formæ animalis cum humore nutritive unionem, ad edendas operationes animales, vitales & naturales, rectè dixisse Philosophus existimandus est, ejusmodi coctionis finem esse φύσιν ἄδρα & στοιχία, quo fine à cæteris coctionis speciebus distingui videtur.

## X.

Quæ enim præter illam, propriè dictam coctionem enumerantur species non στοιχία: sed τὸν κακόν τὸν μέροφην ὅταν πειρῶνται γένηται καὶ πειρῶνται τὸν οὐγερόν finem habent propositum; nimirum τέπαστις est seminis & qualitatum in semine ejusmodi perfectio, quâ præsente facile simile ex semine generari potest: ἐψησις verò, quâ indeterminatum in humore existens humido calore perficitur: ὅπησις deniq; quâ humor in sicco abundans, à calore sicco absimitur & temperatur.

## XI.

Harum coctionis specierum, licet non specie seu univocè & exactè secundum modò datas definitiones, quæ ita confectæ ut vulgò notiora magis respicerent, tamen ratione analogiæ & similitudinis singulis aliquid in nostro corpore respondet, ita ut proportione respondeat aliud maturationi, aliud elixationi, aliud assationi: & quatenus hæc à calore proprio, & animæ vegetativæ imperiore rectè obedientiæ, sive in humoribus alimenticijs, sive excrementiciis peraguntur, & ad conservationem totius animalis perficiuntur, à naturali calore proprio concoqui dicuntur, quacunq; concoctionis specie hoc accidat: Sin verò minus, id est, si non rectè calore proprio, qui semper regimini animæ vege-

mæ vegetativæ paret, regulantur, non coctiones: sed his contrariae ~~ampliæ~~ dicendæ sunt, sive in humoribus nutritioni aptis, sive excrementis, sive elixationes, sive assationes, maturatio verò semper præsupponit sc̄ regentem animam mediante calore proprio, eiq; opponitur immaturitas.

### XII.

Excrementicij itaq; humores, & illi, qui à justa, quæ corpori dicata est, moderatione discedunt, si à proprio calore ita continentur, & imperio ipsius subjecti ita elaborantur, ut elaborati & à natura domiti, sint suo modoutiles ad Individui conservationem, id est, si ad perfectiorem & corpori nutriendo idoneam qualitatem reduci non possint, saltem animæ imperio, quod eos ad excretionem impellit, seu expultrici animæ facultati pareant, cui alias non domitis qualitatibus resisterent, ut minus naturæ commodo expelli possent, Medicis habentur cocti.

### XIII.

Hinc pituitam, lac, semen, urinas, egestiones, omniaq; superflua & exrementicia, si caliditatem propriam humidu dominari indicant, cocta dicimus: ad quem censum referimus etiam omnes humores, qui in corpore, alicujus morbi caussam vel antecedentem vel continentem se præbere possunt, in venis vel alibi putrescentes; vel putridi corrupti, vel in tumoribus & tuberculis existentes, quos si à natura domitos & ad excretionem paratos videmus, coctos pronunciamus.      XIV.

Hic duplex à dissentientibus Medicis movetur quaestio: Prima: Ad quam coctionis speciem ejusmodi peccantium humorum elaboratio referri posset? Ubi aliqui responderunt ad elixationem hisce rationibus utentes:

I. Ut per elixationem indefinitum humidum concoquitur  
à calore

Planerius  
m. m. c. 20.

à calore externo ipsius ignis: sic indefinitum illud, natura  
sicut coquus nativo suo calore elixat & concoquit: 2. Ur-  
res, quæ elixantur, erudum aliquod aëreum, aqueum, fla-  
tuosum, viscosum, vel acre elixatione deponunt: ita quoq;  
quod in humoribus crudis exuperat, vitiosum coctione de-  
ponitur.

XV.

Alij verò magis maturationi similem esse statuunt,  
quibus & nobis hac vice suffragari est animus. Etsi enim  
humores vitiosi non ut fructus maturescunt, ut nimirum  
semen ad similis procreationem depromant: tamen quia  
Galen. & alij veteriores Medici hoc usi sunt termino, majo-  
remq; convenientiam cum maturatione quam alijs specie-  
bus habeat, quippe interno naturæ calore, non externo,  
qualem coquus administrat, perficitur, & non secus ac fru-  
ctus ut à toto maturi excernantur, ejusmodi humores ela-  
borantur; propter vicinores has proprietates, meritò ma-  
gis maturationem dicendam existimamus.

XVI.

Altera est: Utrum pus viâ putrefactionis, an verò con-  
coctionis generetur? Ubi nonnullis placet viam putrefacti-  
onis eligere sequentibus innixi rationibus: 1. Quia Gale-  
nus dicit carnes contusas cæsasque, putrefactas & in pus  
versas liquari. 2. Quia eadem videlicet calida & humida,  
quæ disponunt ad putrefactionem, disponunt quoque ad  
suppurationem. 3. Omne pus fætoris particeps, fætor au-  
tem putrefactionis proprium. 4. Omnis suppuratio fit in  
particula inflamatâ, inflammationis calor p.n. hic autem  
putredinis. 5. Quia quo magis ad statum & suppurationem  
perducitur materia, eò magis augetur dolor & calor p. n.  
& in declinatione reperitur pus. E. dicenda putrefactio,  
non concoctio. Simile quoq; iudicium de materia febri-  
um ferunt.

XVII. Qui

Gal. 1. de  
differ. c. 6.

## XVII.

Qui his è diametro contradicunt, tales in contrarium adducunt rationes: 1. Si Hippocratis & Galeni auctoratibus pugnandum, plures reperiri pro coctione, quam putrefactione. 2. Salubrium morborum principium multò deterius, sequentibus temporibus. Ut autem humores coctione miteſcunt, & conditionem meliorē recipiunt; ita putrefactione omnia depravantur & ad interitum disponuntur. Ergo coctionem non putrefactionem revera esse, evictum est.

## XIX.

Nonnulli, ut Vallesius, mediā incedentes viā, neutri simpliciter adſipulantur parti: sed medium invenientes motū neq; coctionem, neq; putrefactionem esse ajunt, sequetalibus defendunt argumentis: 1. Quia possibile est juxta Galenum in corpore inanimi permixtam commutationē effici, & cauſſa, quæ est per naturam, & ea, quæ est præter naturam. Ergo non impossibile dari in corpore motū partim ex principio naturali, qui concoctio, partim præternaturali, qui putrefactio. 2. Quia in generatione puris calor inflammationis quodammodo mixtus ex utrisq; juxta Galeni effatum. 3. Quia unus est specie calor elementaris, ratione diverſorum graduum & naturalis & præternaturalis existens, qui in medio constitutus non duas facit actio-nes: sed unam utriusq; participem. Ergo medio motū materia morbi movetur & partim coquitur, partim putreficit, neutrum autem exquisitè admittendum.

## XIX.

Nobis nulla niſi secunda harum arridet ſententia, quæ unicā demonstratione utriusq; opinionis prolixas evertit probationes. Quomodo enim illa actio vel omnino præ-

B

terna-

Hippoc. lib.  
2. de morbis  
popularib⁹.  
Id. de rat.  
biectus in  
acutis.  
Galenus 2.  
de rat. bi-  
ect⁹ in acut.  
com. 44, 5  
alibi.  
Comm:  
Aph. 29. f. 2.  
Capitacci-  
us in comm.  
ſupra hunc  
Aphor.  
Controvers.  
lib. 5. cap. 4

ternaturalis vel ex parte præternaturalis esse potest, quam  
purus putus sequitur naturalis effectus, naturæ scilicet li-  
beratio & in integrum restitutio? Nonne quidquid ad na-  
turæ conservationem tendit, naturale est? Illud autem  
quomodo à præternaturali principio vel aliqua saltem ex  
parte proveniet? Adde quod absurdum sit, eandem natu-  
ræ viam esse ad interitum & salutem; & illud quod per se  
ad naturæ interitum agit ad ipsius salutem posse conspira-  
re, unico motu & actione.

## XX.

Quia itaq; à sola natura & ipsi convenientibus admi-  
niculis hæc actio dirigitur, & tota ad naturæ conservatio-  
nem completur, cuius plenariam destructionem intendit  
putrefactio, superiorem datam coctionis definitionem ob-  
servantes, quod οὐδὲ ἐφυσικὸς οὐκέτε γερμῆς sola oriatur  
coctio, affirmamus ab omni putredine alienissimam puris  
confectionem, simpliciter coctionem dicendam esse, non  
quidem propriè strictissimeq; dictam, sed quæ analogice  
optimè ad maturationem reduci possit, ad contradicenti-  
um rationes responsonem, ne nimium excrescant Theses  
disputationi reservantes,

## XXI.

Ut tandem ominia, quæ ipsius coctionis & eorum quæ  
coquuntur naturam clariùs explicant, ad pleniorē me-  
dicinæ cognitionem innotescant, aliqua etiam de modo,  
quo natura tām alimenta, quām excrementa coquit,  
subjungamus, ut Medicus minister naturæ, quæ tām  
contraria propellendo, quām similia assumendo sui ipsius  
sedula est conservatrix, opera naturæ eò rectius observet &  
imitetur.

Hoc

## XXII.

Hoc Axiomatis loco nunc supponimus tenendum : Quidquid in corporibus humanis assumptum est, vel per se existit, quam diu naturali & proprio calore continetur & regitur, secundum omnes animæ facultates, attractricem, retentricem, alteratricem, secretricem & expultricem pro justa proportione & æqualitate dispositum, benè se habere & naturali constitutioni nihil obesse : sed potius suum in corpore exequi officium , sive nutriendo sive impellendo sive exeundo, ut quæ in corpore sunt vel contenta, vel *excreta*, vel excrementa : sive alterando sive roborando sive educendo, utpote medicamenta, quæ sanitatis caussa assumuntur ; sin verò ob rebellis qualitates à natura minus gubernari queat, horum quæ recensuimus, nihil præstare posse : sed suo motu oberrare viresq; naturales rectundere & opprimere.

## XXIII.

Hinc constat, quia quidquid in corpore nostro vel natum vel exhibitum nostri temperamenti respectu imperfectionem adhuc patitur, sive sit ratione potentiae nutritivæ, quâ ita naturæ subordinatum est, ut ad actum nutritio-  
nis coctione produci possit, sive ratione contrariae & mor-  
bificæ qualitatis, quâ præditum vel coctione reduci vel ad  
expulsionem præparari debet, id quatuor, quarum respec-  
tu naturali nostræ *κράτης* opponi potest, ornatum est, qua-  
litatibus calore, humore, frigore, siccitate ; in his qua-  
litatibus componendis, elaborandis & perficiendis naturalem  
calorem occupatum esse, ut sibi destinato scopo pro mace-  
ria conditione rectè satisfaciat, quod ita præstat.

B 2

Calor

## XXIV.

Calor nativus solidis particulis insitus, animæ, cui est servitio, nutu, in omnes materiæ concoquendæ partes se insinuans, eas exquisitè fundit dividitq; heterogeneis ab homogeneis secretis, siccum quod primum terminationis principiuni, fundamentum statuens, proportionatum humidum siccо ita miscet, commiscet, temperat & jungit, ut justa consistentia & temperies calori nōstro subdita & utilis, formetur & concinnetur, quo actu frigido simul resistitur, ne calori hoc operis incommodet: tali actione naturæ coquenti ubique usitatâ, finitâ, coctum vel ad nutritionem vel exclusionem dispositum est: ubi notandum in putridis humoribus coquendis, calorem præternaturalem simul revocari & ad naturæ obedientem temperiem reduci.

## XXV.

*4. Meteor.  
cap. 2. Gal.  
in Progno-  
sticis.*

Circa hæc non minus utilis & jucunda quam controversa moveri solet quæstio, an videlicet omnis concoctio condenset? Hoc affirmat Aristoteles & Galenus: Nos quid sentiamus ex thesibus præcedentibus facile constare arbitramur: Quicquid enim calori nostro perficiendum offeratur, illud vel nutritionem vel expulsionem respicit: si illam, tum per se satis patet, omne, quod nutritur, corpus esse, & omne, quo nutritur, partim alimentum, partim excrementum in se complecti: Ergo hinc primò necessarium est, omne quod nutritioni à calore præparatur, prius in minimas dividendum liquandumq; partes, in quantum natura admittit, ut nimirum puri ab impuro rectè possit institui divortium: Hoc postquam factum, quis non intelligit siccii quascunq; particulas resolutas humore hinc inde dispersas diffluere, totumq; tenue & rarum esse?

## XXVI.

Ut vero corpus his nutriti possit omnino requiritur, partes

partes homogeneas & puras reduciri, elaborari & corpori  
nutriendo subinde mutatas usque ad ultimam perfectio-  
nem applicari. Quia verò hic siccum determinatum, hu-  
midum indeterminatum & fluidum exactè comprehendi-  
& terminat, quis ex hoc non colligit, id quod propter inde-  
finitum, humidum, rarum, & dispersum, coctione, definit  
sicco magis magisq; concrescere, colligi & constringi, idq;  
naturalis balsami beneficio, qui cum spiritibus salinis nor-  
exiguam conformitatem obtinet: hoc idem deinde finis  
caussâ necessarium est: Quemadmodum enim nostra se-  
habet generatio, ita quoq; conservatio; generamus autem  
ex liquidis, semine videlicet & sanguine, quæ generantis  
facultatis nativiq; caloris ope crassescunt & in corpus eva-  
dunt: Ergò liquidis quoq; conservamur & nutrimur, quæ  
quò magis corpori vicina & conformia reddi debent, eò  
magis magisque caloris nativi coquendi virtutem experi-  
untur, & hinc coquendo condensari tām verūm quām ve-  
rissimum.

### XXVII.

Si verò quod alterum est ad expulsionem natura  
agens disponit, non minus quoq; crassescere, id quod ex-  
pelli debet vel inde patet: quia natura eo fine excrementa  
coquit, ut ijs eò facilius dominari, viresq; suas ad expulsi-  
onem intendere possit: humor verò hinc inde dispersus &  
fluidus dupli nominis viribus naturæ repugnat: Primo;  
quia prout humor dispositus: ita quoq; virtutem agendi,  
siquidem omnis actio presupponit contactum, disponi cer-  
tum est: si itaq; humor variè & inæqualiter dispositus, na-  
turæ quoque virtutem variè distractam & turbatam esse  
constat, & ita ut virtus unita plus, ita distracta minus valet.

### XXIX.

Altero; Receptum & experientiâ probatum est, quæ

B 3

multi-

multipliciter & variè disposita hincq; inde dislocata' quām  
difficilimē unicā viā & labore dimoveri: sed quodlibet po-  
tius suo cieri motu , ad suum quemq; locūm, aliud huc, ali-  
ud illuc, aliud celerius, aliud tardius. Hinc apparet humo-  
res crudos, qui tali, quali nunc descripsimus ingenio præ-  
diti & inæqualiter dispositi sunt , ad æqualitatem & unita-  
tem coquendo redigi & cogi, & consequenter condensari ,  
quo facilius è corpore deturbentur , omnino necessarium  
esse : quod ipsum quoque natura , quasi de se ipsâ testimo-  
nium perhibens loquitur , exemplo ulcerum & tuberculo-  
rum , quibus apertis primis diebus ichorosum & saniosum  
effluit concocta autem materia , pus , quod crassius appa-  
ret : idem observandum in excrementis pulmonum, quæ  
cruda, tenuia, cocta , crassa apparent , sicq; codem de simi-  
libus judicandum modo. In optimā itaq; cum Aristotele  
& Galeno formā concludimus : Omnia quæ concoquin-  
tur ex tenuioribus crassiora redduntur.

## XXIX.

His , multis à nonnullis , quibus minus placent , con-  
tradicitur , nos brevitatis gratiâ brevibus respondebimus.  
Etsi enim , quod contra Vallesium nunc asserimus , Medi-  
cus nunquam non debet naturam imitari , quia eundem u-  
terq; respiciunt finem , naturæ nimitem conservationem  
& sanitatem , quam Medicus naturæ contrariâ ratione neu-  
tiquam conservabit : tamen nondum demonstrarunt Avi-  
cennistæ , naturam coquendo modò incrassare , modò at-  
tenuare , & consequenter codem quoq; Medico proceden-  
dum esse modo .

## XXX.

Sit enim sanè , pane chylum non crassiorem , chylo  
sangu-

sanguinem tenuorem, sanguine Spiritum subtiliorem, hæcq; consequentibus coctionibus perfici; item urinam crudam aut nimis crastam, aut nimis tenuem utramq; coctione corrigi: nihilominus tamen nostra adhuc stat sententia, si modo exactè intelligatur quid illud sit, quod à Medicis coqui pronunciatur, nimirum id quod corpus vel nutritre debet, vel à corpore expelli: satisq; distinguatur inter coquendorum fusionem seu præparationem & coctionem, quâ naturâ tām in excrementa quām alimenta agit & occupatur, quod abundē thesibus hujus disputationis 22, 23, 24, & 25 declaratum est.

### XXXI.

Neq; illud absurdī hæc sententia producit, quod quidam ex ea diducere conantur, naturam unā eademq; operâ simul & semel attenuare & condensare; illud fundendo, hoc coquendo, sicq; contrarias unica vice edere operaciones, siquidem successivè & in diverso subjecto hic naturæ conatus instituitur: prius enim massam confusam fundit, deinde partes separatas pro cuiuslibet indole seorsim coquit.

### XXXII.

Neque est quod Valleriola & alij hic metuant, cum Aristotele & Galeno, generaliter de omni coctione condensationem pronunciare, quibusdam, pro ut ipsis videntur, contrarijs exemplis deterriti. Fructus enim multi, inquiunt, quò ad maturitatem magis proveniunt, eò magis mollescunt & attenuari videntur, ut cerasa, pruna, poma, ficus, mali punici, foīia rosarum, quorum Scaliger lib. de Plantis mentionem facit mihi, pag. 433. Addunt insuper, quod Spiritus, qui ex sanguine generantur, sunt sanguine multo tenuiores, subtiliores & perfectiores.

Lib. I. Loc.  
com. c. 14.

Nam

### XXXIII.

Nam quod fructus attinet ( licet de fructibus primo  
rio disputatio non sit instituta : tamen quia res nostra ple-  
niūs his declaratur, haut ineptè eorum conditio apertius  
explicari potest) manifestum est eos ipsos, quo magis ad  
maturitatem procedunt, eo magis augescere, indiesq; plu-  
res nancisci partes diversas, ut pote nucleum, putamina,  
carnem, cortices, quæ omnes primâ apparitione in unica  
terrestri particulâ quasi latitant, tempore vero procedente  
magis magisq; succo affluente perficiuntur, atq; à se invi-  
cem distinguuntur & ordinantur : Quis autem non vidit in  
fructibus maturis cortices, putamina, nucleos multo cras-  
fiores & densiores quām immaturis ? cur itaque de carne  
una fructus parte & rosarum folijs non idem pronuncie-  
mus, caussam nondum videmus.

### XXXIV.

Constat itaq; primæ duritiei in fructibus caussam ali-  
am dari nullam, quām diversarum partium aliquam adhuc  
confusionem, quas à natura humoris ope distribui, singu-  
lisq; naturalem statum ordinemq; tribui oportet , in qua  
naturæ ultimâ coctione & perfectione singulas partes cras-  
fescere & densari certum est, ijs quæ confusè in toto fructu  
dispersa videbantur, ad cortices & putamina delatis. Ean-  
dem quoq; rationem puta in tumoribus externis haberi:  
illos etenim primò duros & renitentes offendimus, nullam  
sanè ob aliam caussam, nisi quod natura adhuc humores  
habeat confusos in minori spacio , quos postmodum sepa-  
ratos & coctos in abscessum deponit , quo demùm tumor  
ad maturitatem adductus mollescere incipit, & apertioni  
locum relinquit. Hæc si quis accuratè pensaret, haut mul-  
tum aberit, quin cum Spagyris quibusdam fateatur, ut fru-  
ctus in arboribus: ita morbos crescere in corporibus.

Spiritus

Severinus  
Danus in  
Idœa.

### XXXV.

Spiritus etiam si ex sanguine oriri & generari non dif-  
fiteantur : tamen eos ex tota sanguinis massâ, ita, ut omnes  
sanguinis partes in naturam spiritus commutentur, ortum  
ducere, nemo tam facile nobis persuadebit : Spiritus enim  
compositos esse quis audet inficiari? Si hoc; cur non, ut cæ-  
tera composita generantur & illi, ut habeant aliquod fun-  
damentum in sicco terreo, quo stabiuntur? Videamus  
ulterius : nonne eius quod simpliciter alicuius est corru-  
ptio, contrarium moderatum est generatio & conservatio;  
At spirituum dissipatio, & nimia, quâ dissolvuntur, atte-  
nuatio, simpliciter proprię spirituum est corruptio, ut in  
febribus diarijs, inflammationibus, alijsq; affectibus con-  
spicuum. Ergo mediocris condensatio spirituum &  
generatio & conservatio. Pro certo itaque habendum spi-  
ritus ex tenuissimis sanguinis generari partibus, quæ si à  
natura apprehenduntur, in unum quasi colliguntur, & con-  
tinuitatis officio continentur, spirituum naturam induunt:  
si verò resolutæ sibi ipsis reiinquentur, dissipantur & in au-  
ras abeunt, fitq; magis spirituum corruptio, quam genera-  
tio, quod demonstrandum erat.

### XXXVI.

Hactenus quæ & qualia πέπνωα, & quæ circa ea consi-  
derantur : sequuntur quæ Hippocrati dicuntur ὄμηρα, quæ il-  
lis opponuntur ut contraria & suorum contrariorum per-  
fectâ cognitione facile innotescunt.

### XXXVII.

Variè quidem cruditatis vocabulum à Medicis acci-  
pitur: verum hoc loco juxta sensum Hippocratis & Gale-  
ni cruditas propriè est illorum humorum, qui quidem à

C

natu-

natura elaborari possunt: sed nondum perfectè elaborati sunt, & quibusdam vitiosis ac perniciiosis qualitatibus naturæ resistunt, quibus nondum domitis minus rectè regi & ad optatum finem exornari queunt.

### XXXVIII.

Quemadmodum itaq; diversa utriusque humoris est conditio: ita quoq; diversimodè Hippocrates illos tractare jubet, unum purgandum movendumque præcipit; alterum minimè. Quæ concocta sunt non est quod diutius moretur Medicus, quin statim purget vel moveat, id est, per lotium, sudorem vel aliter educat, seu ulterius ad evacuationem attenuando præparet: eo enim pacto omnia juxta naturæ convenientē peraguntur ordinem, & humores non solum medicamento trahenti facile dimittuntur, verū etiam ab ipsa naturā moventur & expelluntur.

### XXXIX.

Cruda verò si purgare & movere tentaveris, non solum nihil promovebis: sed omnia conturbans in deterius etiam præcipitabis. Quemadmodum enim decenti naturæ ordine, excretiones maturorum conferunt & facile feruntur ab ægris; ita cruda si irritaveris revera intestina movebis bella, & ex uno malo geminum conficies, hocque ideo quia natura non in unum cum Medico conspirat finem: sed potius illud, quod medicamentum attrahit, illa retinere magisq; coquere conatur, siq; medicamentum vehementius, dupliei quasi hoste oppugnatur, tam morbo, quam medicamento, quod utile cum inutili turbat & confundit.

### XL.

Ex ejusmodi verò confusione inordinatâ primò corporis oriuntur liquefactioes, spirituum dissipationes, viarumq; obstructiones, unde consequenter tormina, vertigines,

nes, lypothymiae, convulsiones, sudores cum syncope con-  
juncti, & varij cruciatus alij, quæ omnia in tali statu purga-  
tionem dehortantur, & ne in principio quidem admittunt,  
quo tamen alibi Hippocrates ea, quæ movenda sunt, maxi-  
mè movere jussit, ob virium constantiam.

Sect. I.  
Aph. 24.  
Sect. 2.  
Aph. 29.

### XLI.

Quid itaq; cum ejusmodi crudis agendum est Medico? si natura satis appareat fortis, morboq; evincendo suf-  
ficiens, materia illi relinquenda, Medico naturæ opus dun-  
taxat aspectante & nihil agendo juxta Hippocratem utile  
remedium administrante: si verò naturam ex parte defice-  
re senserit, suum erit titubanti in subsidium accedere, vi-  
resq; addere, quibus fortius ea, quæ morbifica, expugnare  
queat, quod dupli potest fieri ratione.

### XLII.

Prima, quâ calor nativus fovetur & augetur, quod in  
externis, emplasticis, spiracula cutis obstruendo, partemq;  
moderatè calefaciendo calorem cohibentibus ne trans-  
spiret, sed in unum se ipsum colligat & corroboret, perfici-  
tur: internis autem, ubi emplastica propter situm loco-  
rum affectorum non admittuntur, utimur quiete, somno,  
alimentis & medicamentis spiritus reficientibus & natu-  
ram confortantibus, pro ut ipse Galenus fatetur, naturam  
usu pirorum roboratam, aliquando malum exclusisse.

s. de ali-  
ment. fa-  
cult.

### XLIII.

Altera est, quâ Medicus impedimenta costrici fa-  
cultati repugnantia è medio tollit, quod tot fit instrumen-  
tis, quot sunt adversi repugnandi modi, utpote sunt quan-  
titas & qualitas, hæc vel prima vel secunda: hinc  
sequitur nimis calida refrigeranda, frigida calefacien-  
da, humida siccanda, sicca humectanda, crassa attenuanda,

C 2

tenuia

tenuia incrassanda, viscida incidenda, nimis copiosa minuenda, quibus recte perceptis & cum humorum peccantium constitutione ritè collatis, facile cuiusvis patebit, quo pacto naturæ, impedimenta contraria tollendo, ad cuiuslibet humoris concoctionem succurrendum sit.

XLIV.

Dubia, quæ hic occurunt, nunc enodanda. Primum circa hæc quæri solet, quia diximus, non secus ac ceteræ qualitates, naturam impedites, contrarijs debellantur: ita quoque copiosos humores contrariâ actione minuendos esse, an hoc vulgariter Medicis minorantibus dictis, id est electivè purgantibus minori dosi exhibitis exequi licet, præsertim cum Hippocrates idem tradere videatur, quando per initia evacuare jubet, ut minore factâ materiâ, reliquum facilius vincat natura?

Sect. 2. Apb.  
29.

XLV.

His breviter respondemus quod sentimus, omniaque medicamenta electivè purgantia, quacunq; dosi, cum Capivaccio, respectu materiæ crudæ, simpliciter rejicimus, hac ratione ducti, quod nulli crudi humores etiam minimâ quantitate, sine naturæ incommodo & molestiâ, educi possint, cujus rationes & auctoritates sufficientes extant apud Capivaccium, ad quem lectorem remittimus: Hippocratis auctoritati respondemus, nisi materia vel furiosa, vel ex parte cocta, loco purgantium, lenientia ad deconrandas primas vias sufficere, vel venæ sectionem adhiberi posse, ita tamen utrumque tractandum, ne crudi moveantur humores, qai si nimis copiosi potius per vices coquendi, & ut loquuntur, per ēπίκρασιν evacuandi.

Altera

## XLVI.

Altera controversia movetur de bile, quomodo illa ad evacuationem præparanda sit, & cum supra dixerimus crassa attenuanda, tenuia incrassanda, num bilis, quæ tenuis incrassanda sit, an verò, quod nonnullis placuit, ulterius quoque attenuanda? cui quæstioni distinctione, quæ est inter præparationem, quæ est ante coctionem, & quæ est post coctionem, facile satis fiet, respondendo nimirum, si propter nimiam acrimoniam & tenuitatem naturæ consequenti bilis refragatur, qualitatibus illis perniciosis, omnino, contrarijs naturæ accommodatis, occurrentum esse, nimiamq; acrimoniam retundendam, tenuitatemq; quo citius naturæ viribus subjiciatur cohibendam: cocta verò bilis nulla præparatoria attenuatione vel incrassatione ulterius indiget, quemadmodum crassi & viscidi, quæ post debitam coctionem, ad commodiorem evacuationem, ulterius quoque arte præparandi, attenuandi & incidendi, quam præparationem Medici secundam dicere consueverunt.

## XLVII.

Hactenus de crudis satis diximus; sequuntur furentes seu turgentes. Dicuntur verò humores turgere & furere, quicunq; vago motu hinc inde in corpore transcurrunt atque jactantur, certoq; loco figi & consistere nesciunt, non secus ac bruta semini turgentis œstro percita, furere quasi conspicuntur, suntq; calidissimi, tenues, mordaces acrimoniâ stimulantes à mediocribus humoribus planè alieni, ut, etsi à natura aliquâ ex parte continentur: ulterius tamen elaborari minimè possint, ideoquic omnibus partibus quasi exosi & nimis molesti ab omnib. expelluntur, hincq; inde disjiciuntur, ut ne ad momentum quidem quiescant.

## XLVIII.

Hi propriissimè & primariò turgere dicuntur, ad quos

C 3

postmo-

postmodum referuntur omnes , qui in certa aliqua parte nondum perfectè fixi sunt , licet determinatè ad aliquam partē ferantur , modò ita , ut ad evacuandum habiles sint , atq; ad patentes vias præsertim alvum inclinent , suamque exeundi promptitudinem ostendant .

X L I X .

Ejusmodi turgentes furentesq; humores , statim in principio purgare & movere præcipit , quod mora in his tam sit periculosa , quam inutilis . Si enim ejusmodi furens turgensq; materia non statim è corpore ejiciatur , metuendum est , ne irruat in partem principem , repentinum malum excitet , ægrumq; omnino jugulet , iccirco naturæ medicamento quasi manus porrigenda , quam noxiū hospitem , quem per se etiam exire paratum facile dimitit , per adæquatum locum educat . His quoq; ratio dicta est , ob quam non solum propriissimè turgentes : verùm etiam qui secundariò tales dicuntur , primis diebus purgandi movendiq; veniunt .

Postremò notat Hippocrates raro humores turgere , tūm quod tales maximum calorem efficiente , omnimodamq; à temperatis humoribus separationem requirant , cum etiam , quod raro contingat , ejusmodi exactam separationem sine febri posse fieri , ut statim in initio turgeant . Deinde sedulò hic quoq; cavendum est , ne quid obstet , quod turgentium quoq; humorum purgationem , ob majus secuturum incommodum prohibere valeat .

L I .

Qui itaq; humores purgandi , qui statim in initio , qui minimè diximus . Sed quid de malignis , venenatis & pestilentiibus statuendum : num illi quoq; , ne cor occupent , statim expurgandi ? Respondemus : Licet non abs re sit , experientiam aliquando comprobasse , vomitiones , alviq; dejectiones

dejectiones copiosas non omnino in pestilentibus malignisq; febribus, sine commodo evenisse: sed multa humorum faburra evocata, malignitatem simul interdum desisse: tamen quia non semper eventus satis felix respondet, tutius arbitramur venenum alexipharmaco oppugnare, hoc enim Spiritus & cor dum venenum è corpore tradit, simul confortat, purgationes non raro sine fructu abeunt, cor & Spiritus exsolvunt, qua propter id, quot tutius, hic potius eligendum.

### LII.

Tandem disputatione hac questione finire placuit: num medicamenta chymica aliquid ponderis in humorum præparatione & expurgatione habeant? Et respondemus omnino. Si enim bilis calor, tenuitas & acrimonia corrigen- da, si humorum putredo arcenda, si pituita crassa & tenax incidenda & à putredine cohibenda, si viæ obstructæ rese- randæ, en tibi Spiritus vitrioli correctus, Spiritus salis & Sulphuris, qui acciditatem & puritate suâ ex probatorum au- torum experientiâ in utriusq; humoris præparatione mul- tum præstabunt. Si Melancholia peccat, sit tibi Spiritus terebinthinæ, extractum chalybis, quod haut ignobiles Practici multis alijs prætulere. His adde sive vegetabilia si- ve mineralia præparantia & purgantia, quæ Chymico mo- re rectè præparata, & ab impedimentis liberata, quantum præstent, usus huc usq; satis edocuit & edocet.

### LIII.

Non verò propterea Chymia suspecta sit, quod partes medicamentorum simpliciores separant. Medicus autem non raro totius viribus indiget, quæ separatione dissolvuntur, quia eadē arte, quâ Chymicus separat, vicissim conjungit, nullius nisi inanum exrementorum jacturā faciens, quibus, qui yi-

qui vires inesse putant , illis vel mortui vivere videntur : nec objicies Chymica omnia destillatione fieri tenuiora , viresq; eorum dissolvi , quia non omnia usq; ad aquam tenuitatem procedunt , & doctus Chymicus dissolutionem cavere novit ; addc quod multa sine destillatione Chymicè parari quicant.

LIV.

Non autem multorum audaculorum jactantiæ his patrocinamur , quorum arrogantiam & audaciam tam novimus , quam odimus , quorumq; stulticiam vel ipse eventus tandem detegit , cum Chymico titulo superciliosè exornati , nescimus quidnam vel in extremis morbis præstare promittant , verâ autem dogmaticorum methodo destituti , ipsimet inscitiam suam produnt , seq; ridendos aliis exhibent : Cum enim dogmaticorum præcepta præ se contemnant , evenit ut medicamenta , quæ alias Deorum manus sunt appellata , si quæ fortè possident , ipsis perinde sint ac si sceptrum in manu furiosi & legem & rem publicam ignorantis . Nemo itaq; sibi persuadeat se medicamentorum farragine Medicum evasisse .

Thenesis Illec*t*oria Dexictingo Doxtor.



WD 17

